

et ossa. Excipio cognouisse te oportuit carnem et ossa non esse proprietates, sed partes integrales substantiae hominis. Harum igitur partium, quaeso te, vel vnica indicato proprietatem. Neque rursus in vsitatum te proprias diuerticulum philosophicum hoc esse. Aio hoc esse Christi, qui probat suam massam esse corpoream, eo quod sit visibilis et tangibilis. Si igitur docere possunt testimonio diuinae vocis, vsquam in scriptis prophetis et apostolicis substantiam, quae spoliata sit et careat omnibus proprietatibus corporis, corpus appellari, iam victi sumus. Plerique valde delectantur illo commento de illocalitate, vt nominant, et ludificantur nos, quod nesciamus locum esse quid accidentale. Sed quae ista est audacia fingendi subinde noua portenta sine autoritate verbi diuini? Vbi locorum scriptum est corpus Christi fuisse aut esse sine loco vel esse illocabile? Contrarium docuit vox diuina et antiquitas perspicue. Licuit, ne igitur illis inuehere vel cudere nouum dogma ignotum antiquitati? Deinde monemus eos, vt paulo accuratius ediscant physicam aut, si non didicerunt, saltem ea non contemnant, quae assequi [64:] non poterunt. Βλακικὸν enim et Aristophanicum¹⁹⁷ hoc est. Age igitur, etsi fortassis ridemur, tamen et nos patientiam Socratis imitati, paulum cum ipsis philosophabimur, fortassis enim hinc aliqui cordatiores vanitatem horum somniorum agnoscent.

Quandocunque nominatur locatio vel esse in loco, sciendum est non tantum nos loqui de spacio, quod corpus recipit et complectitur. Nam hoc est, quid extrinsecum et alienum a natura corporis sicut etiam in vacuo, vbi nullus locus est, tamen corpus reuera corpus esset, etsi nullum esset spacium ambiens vt quidem aliqui ex antiquis perperam senserunt. Sed locatio primo et proprie respicit ipsam formam substantialem corporis, videlicet dimensiones vel potius quid est quid, idem cum istis. Nomina enim dimensionum, longum, latum et profundum, nihil aliud significant nisi extensionem et intrinsicam locationem partium corporis. Quare ista propositio: „Omne corpus est locabile vel necesse est esse in loco“¹⁹⁸ est necessaria non necessitate physica, sed necessitate definitionis. Sciunt autem mediocriter instituti hunc gradum necessitatis, qui nominatur definitionis et demonstrationis, esse immutabilem et plane vicinum primo, in quem collocantur propositiones de Deo, quod Deus in natura ita sanxit, ne fiat implicatio contradictionum, sed certo posset discerni veritas a mendacio. Si trigonus non habet tres angulos, non est trigonus. Ita si aliqua substantia non habet illas extensiones et distantias partium in longum, latum et profundum, non est corpus neque debet appellari corpus. Interea excipiunt aliqui inepte, locationem referri ad necessitatem definitionis, quia hoc modo definitionem hominis talem futuram: Homo est animal existens in loco. Hos igitur placide in logica, si modo ipsis non cietur nausea, erudiemus. Scire oportebat literatos in definitione aliam esse

¹⁹⁷ Aristophanes gilt als einer der bedeutendsten Vertreter der antiken griechischen Komödie. „Aristophanicus“ ist daher mit „komödienhaft“ zu übersetzen.

¹⁹⁸ Vgl. Augustin, Soliloquiorum liber primus XV, 29, in: PL 32, 884 (CSEL 89, 42,21–23).